Marcus

...brielis Epithalamium.

EPITHALAMIVM.

MAGNIFICIS

Natalibus & virtute præstantibus

NOVIS SPONSIS.

Per Illustri & Magnifico Domino,

D. MARCO STADNICKY

à Zmigrod, Pocillatori terræ Cracoui: &

Inclytissimæ Heroidi,

MARINÆ DĘBINSKA:

Per Illustris & Magnifici Domini,

D. SAMVELIS DĘBINSKI

DE DĘBIANY,

Castellani Biecensis, Capitanei Bendzinensis &c. &c. Filiæ.

GABRIEL OCHOCKI: *Almæ Academiæ Crac: Studiosus, submisse offert.* D. D.

CRACOVIÆ,

In Officina ANTONII WOSINSKI. *Anno* D. 1620.


LILIVM VT SPINIS, SIC VIRTVS ARDVIS NON LEDITVR

In Arma Nobilissimæ Domus
DĘBINSCIORVM.



QVæ facies rerum nobis hic cernitur, vt quod
Imperio paret Virginis, vrsa ferox.
Scilicet integri DĘBINSCI, *& robore fortes*
Sunt, quod præclarè nobile stemma docet.
O felix Domus illa, ó terq; quaterq; beata
Hæc vbi communi sunt copulata iugo.

In Arma Nobilissimæ Domus STADNICIORVM.



ISthoc quem cernis fluuio, profluxit abundè
Insignis pietas in Patriam, inque Deum:
O fortunatam, tali cum stemmate, gentem,
Æterno cuius riuus ab amne fluit,
Donec in Oceanum magnum sua flumina current
STADNICIORVM amnis tam diuturnus erit.

Lechiadum

LEchiadum non arma canam non bellica facta
Queis laudẽ æternam peperêre sibi atq; triumphos.
Dicere nil ad nos Mauortem adamantino amictu
Troico & insperſum quondam vel puluere nigrum
Merionen : procul hinc absit procul igneus horror
Thoracum, gladiosque tegat vagina minaces:
Stent bellatrices Aquilæ, sæuique Dracones,
Tibia pro lituis & pro clangore tubarum,
Molle lyræ festumq; canant, epulentur ad ipsas
Excubias, cessent nunc bella ferocia cessent.
Prælia non, verum socialis festa Hymenęi
Vis animo insedit, tenui & sponsalia versu
Decantare, (etsi Heroum clarissima facta
Et sanguis generosus opus vincat superetque)
Quare age quæ cantu sponsalia musa frequentas,
Huc huc cum Cytharâ dulci, fidibusque canoris
Accelera, & timidis faueas Saturnia votis.
Nunc age, festina, thalami quid vota moraris
Mollis Hymen, Hymenæe, Hymẽ, Hymẽ, o Hymenæe
Tuque Diona veni cui sunt sponsalia curæ,
Te veniente sacras sponsus consistet ad aras,
Præside teque, fidem thalami firmabit honestam.
Iuppiter alme veni, venias quoque pronuba Iuno

Denique quidquid amæni vnquam fuit, atq; iocorum
Nunc fortunatum, in mea carmina, ducite greſsum.
Si quos Lechiadum tellus, animi edidit vnquam
Robore percelebres, ſi Marte, armiſq; potentes,
Et ſi conſilio inſignes, gens Lechica nouit,
STADNICII cunctos ſuperant, cunctiq; viciſsim
His cedunt, cuncti ſe ſe victosq; fatentur;
Illos conſilioq; graues, armisq; potentes
Extollunt, meritoq; illos encomio adornant.
Quid memorem nimiam in patriam curam, atq; laborē
Ardent cuius amore, velut ſcintillat in orbe
Auricomus Phæbus, poſtquam ſua lumina fundit
Qui multis ſe ſe, & vitam obiectare periclis
Illius cauſa haud dubitent, faciantq; libentes,
Nec caræ vitæ parcant, nec ſumptibus vllis.
Si mihi ſint linguæ centum, totidem oraque centum,
Si vel doctiloqui, dictaret Muſa Maronis
Carmen, & ingenium conferret Naſo Poëta:
Et ſi Mæonij, facunda Minerua Poëtæ,
Aut tua lingua diſerta foret mihi, culte Tibulle,
Tunc quiddam terſas, quod poſset vadere in aures
Concinerem, egregias dotes, laudesq; perennes,
Queis inſigniti, veſtri viguêre parentes;
Non opus eſt multos memorare atauos, proauosq;,
Quorum nunc viuunt, & viuent nomina magna;
Vnius meminiſse ſat eſt, Heroica facta.

Præclariſsimus, æternisq; STANISLAVS ille,
Temporibus dignus STADNICKI, quem ferus hoſtis
Expertus toties, ſæuis armiſque, viriſque:
Cui patriæ ſic carus amor fuerat, Decium tu,
Vel Curium Romanum, Fabriciumque putares,
Fama quibus Romana ſtetit. Sic ille perennis
Viuet & in patriâ narrabitur inclytus iſtâ
Cui celebrem peperit famam, nomenque, decuſque.
Atque hinc profluxit celeberrima Stadniciorum
Virtus, hoc patrias eſt deriuatus in ædes
Fonte amor, hoc quodam veluti deducta Syphone,
Progeniesque, domusq; perinclyta Stadniciorum.
Qui ſplendore ſuo famâ, & virtutis auitæ
Heroum, ſummos exęquant in patriâ almâ
Ciues, conſilio claros, armisque potentes.
Ecce tori quærit ſociam, clariſſimus heros,
Et gentem ſociat magnam, clatiſsimæ, & omni
Laudandam ſeclo, vel poſteritate colendam.
Clara & enim ignorat nullus Dębinſcia facta,
Quorum virtutem teſtatur patria ſola,
Bellicaque acta, quibus crebras in prælia pugnas
Commiſêre, ſuæ patriæ quis neſcit amicos?
Iuſtitiæ quis cuſtodes, legumque ſeueros?
Nonne paludamenta illis, faſceſque curules
Sunt conceſſa à principibus, patriâque Polonâ.

Sed

Sed quid ego hæc memoro, cum ſponſi Heroica facta
Sufficiat, ſatis ad laudem vel Virginis almæ
Dicere virtutes, queis hoc par vſque refulget;
Non ſecus ac Phæbus, conſurgens ſplendet Eoo,
Fulgentes promit radios, in ſydera celſa;
Sic par hoc geminum, quod nunc caſtiſſimus ardor
Conſociat, rutilat patriam propriosque penates
Colluſtrant, cunctoſque hilarant ſpenldore coruſco.
Sed poſtquam intueor ſponſum, mox ſupprimo greſſum
Nec datur illius laudes, depromere magnas.
Vos ſuperi appello, venam fluxumque negantes
Carminis, eccur non conceditis ora diſerta,
Virtutes queis Stadnicii celebrare valerem?
Dii illi diuitias dederunt, artemque fruendi,
Queis multis habitis, faſtu haud inflatur iniquo.
Sunt ei opes, aurum obryzum, argentumq; decorum
Et quaſcunque niger rubro de littore conchas
Proximus Indus aquis ab Eois colligit vſque:
Et tua centenis incumbunt tecta columnis
Magnaque Niliacę, ſeruit tibi gleba Syenes.
Quodque magis mirum cum iſtis prędiues abundet
Donis, haud fruitur ſolus, largitur at illa,
His qui ſunt tenuis paulo fortunæ & egentes,
Illi eſt præſto animus, naturæ illuſtria dona,
Scilicet ingenium, & rerum prudentia velox,
Conſilium, & ratio multis exercita rebus.

Quid

Quid formã memorẽ excellentem, quidue venustam?
Quam natura parens illi concessit abunde
Hęc tibi, cum à summo modo sint concessa Tonante
Non tamen inflaris, neque te vlla superbia vexat.
Hæc cum possideas memoratu digna perenni,
Pr ę reliquis arbitraris nunc te esse minorem.
Ecquis mentem eius nullis animumque periclis
Perculsum nescit, fortunę subdere colla
Nescius, ast vnum fixum immotumque tenere
Consueuit, neque eum ancipitem sententia vertit;
Roboris ipsius testes, mentisq; animiq;
Herculei, sunt orę illę, quas tetra Scytharum
Infestans rabies, nostros populare penates
Ausa est, inque domos proprias auertere prędas.
Hic postquam patriam male mulctari audiit, omni
Accurrit studio rebus succurrere lapsis,
Et tantis proprium caput obiectare periclis
Ausus, & in Scythicas est se se immittere turmas.
Insequitur, trepidosq; pedes, pede feruidus vrget
Vtq; magis fugiunt, tanto magis instat & ardet
Et facile assequitur pone atque in terga ruentes;
Vt facile accipiter, saxo sacer ales ab alto
Consequitur pennis, sublimem in nube columbam;
Cornigera aut potius, qualis cum cerua cruentis
Circumuenta lupis, nullum cui pectore molli
Robur, & in volucri tenuis fiducia cursu

Pręcipitat ſuſpenſa fugam, iam iamq; teneri
Credit, & eluſos audit concurrere morſus.
Sic Heros pręſens fortis velut alter Achilles
Innumeras acies fugientes vſque Scytharum
Proſternit, dum aliis gemina inter tempora frontem
Diuidit, atque aliorum immani vulnere malas
Collapſosq; artus, atque arma cruenta cerebro
Infigit, tum mox diffindens partibus æquis
Huc caput atq; illuc, humero ex vtroque pependit
Profligatque alios cogens obuertere terga.
Hoc poſtquam caſtrorum dux pręſesque ſupremus
Aduertit, mox STADNICIVM ſuper æthera magnis
Laudibus extollit, ſummum patrięque parentem
Appellat, virtutem amplectens STADNICIORVM.
O animum inuictum, memorandumq; omnibus æuis
O defendendę patrię curam ſtudiumque.
Hunc videt ardorem REX Auguſtiſsimus, atquę
Maximus, vt qui nunc noſtri moderatur habenas
Regni fęlici auſpicio, videt ex ſolio almo
Pro meritis tantis virtutem STADNICII ornans
Muneribus magnis, donis magniſque coronat.
Cenſet enim vt iudex æquus, qui ponderat æqua
Iuſtè, eſſe iniuſtum meritâ haud decorare coronâ
Virtutem, ſemper quę debita dona requirit.
O fortunatos ter, tali ex ſtirpe nepotes,
Progeniem ô claram de patre ſuo, incrementa

Quæ nostro regno magnísque penatibus olim
Succrescent, patrię emolumento, almoque decori.
Verum ingens oritur virtutum luxque decusque
Sarmatiam totam illustrans, ex gente profecta
DEBINSCI, vnde Heros quęrit melioribus annis
Consortem, & casti sociam thalami, ambit & optat,
Laus tua magne Heros est inclyta, & inclyta magnis
Est Neonympha suis virtutibus atque perennis,
Queis alias ita pręcellit, formosior vna
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.
Si formam egregiam spectes, pulcherrima, ferme
Purpureo similis flori pulcherrima, Nympha.
Castior ipsa est Penelope, vel Deiopeia
Pulchrior, & quas ex forma commendat inani
Gręcia, pręcellit cunctas candore niuali.
Qualis in Eurote ripis aut per iuga cinthi
Exercet Diana choros, quam mille secutę
Hinc atque hinc Nymphę multę glomerantur at illa
In medio gradiens Nymphas supereminet omnes
Quanto & splendidior quam cętera sidera fulget
Lucifer, & quanto quam Lucifer aurea Phębe
Tanto Virginibus pręstantior omnibus illa est.
Cernis vt egregii crines nodentur in aurum.
Ostro purpurea vt vestis pretiosior omni
Quam à teneris annis tibi sollicitudine summâ
Vsque huc seruabat clara Heroina parensquè

Purâ virtute instituens, & moribus almis
Id solum intendens vt spem domuique sibique
Consortem & sponso sponsam nutriret, & inde
In teneris animo pietatem insculperet annis.
Audiuere Dii tua vota ô anxia mater
Namque tuum socias clarâ de stirpe creato
Delicium Heroi, hinc charos, dulcesque nepotes
Aspicies, & te hoc genero olim rite vocabis
Felicem, geminabis terque quaterque beatam
Digna Virago Viro, sed Vir quoque Virgine dignus
Florentes annis ambo, virtutibus iisdem
Clari, seq; suis semper maioribus æquant.
O vtinam vobis cedant felicia fata
Ominibus faustis vtinam omnes Diique Deęq;
Atque fauens adsit nunc Iuno Gamelia vobis.
O vtinam vestrâ concors concordia in æde
Permaneat, procul hinc absit contentio discors.
Verum quę exhilarant animos, sint gaudia pręsto.
Quicquid & auriferis diues Tagus aduehit vndis
Hermus & auratâ radians Pactolus arenâ
Sit vobis pręsto à Diuis hoc postulo supplex
O vtinam natos vestri generisque domusque
Spem, videatis diuitiisque bonisque beatos:
Seculaque ô vtiuam viuatis longa, beata
Tempora viuatis, sine rugâ, fronte serenâ.
Iuppiter & vestris lucescat in ædibus, & vos

Multi-

Multiplici ſemper fęcundet, & augeat opto
Fortunâ: hoc ego ſupplicibus peto poſcoque votis;
Quod fiet, Cortina etenim non decipit vſquam
Et verum eſt, quidquid prędixerit, Augur Apollo.

Soli DEO honor & gloria, AMEN.

AD PATREM SPONSÆ.

Det tibi cuncta Deus, Mecœnas, fau-
ſta precanti,
Fiſiolæ firmet, connubiumq; tuæ:
Vt videas natã, felici prole parẽtem,
Et numeres generi, gaudia mille tui.
Dignus es vt poſsis natorum cernere
natos,
Robora DĘBINSKY, vel ſupera-
re queas.

AD SPONSVM.

Hæc tibi STADNICKY, quæ nubit Virgo, Marina
Dicitur, & dotes, quod mare prendit aquas.
Cinthia ſic mediis, vix luce coruſcat in aſtris,
Inter vt Heroidas, hæc pietate nitet,
Quam tua STADNICKY, conſtantia, cum ſibi iungit,
Stella micat toto, pulchrior vlla polo.


LILIVM VT SPINIS, SIC VIRTVS ARDVIS NON LEDITVR